

MISCELLANEA

ZACHARIAS CHRYSOPOLITANUS.

De vita Zachariae Chrysopolitani hucusque multa nota non sunt. Versus medium saeculum duodecimum canonicus erat abbatis Sancti Martini Laudunensis. Dicitur Chrysopolitanus quia oriundus erat e civitate Chrysopolitana, seu Besançon. De facto in illa civitate versus annos 1131-1138 citatur canonicus et scholaster eximius, cui nomen Zacharias, qui identificandus videtur cum illo qui postea hoc nomine, qua canonicus Laudunensis Ordinis nostri, insignitur. Annus mortis ejus non constat. Videtur tamen obiisse ante annum 1160.

Zacharias confecit libros non modici valoris. Servatum fuit opus cui titulus : *In Unum ex Quatuor sive de Concordia Evangelistarum libri Quatuor*. Opus illud, antea saepe prelo multiplicatum, legi potest in MIGNE, *Patrol. Lat.*, t. CLXXXVI, col. 11-620.

In hoc opere agitur de Commentario Evangeliorum, et quidem de Commentario in Concordantiam seu Harmoniam Evangeliorum. In Praefatione tertia ipsi expositioni praemissa, Zacharias testatur se uti textum explicandum prae oculis habuisse Harmoniam Evangelicam illa aetate magis notam, quam confecisse fertur Ammonius Alexandrinus, juxta antiquum Diatessaron Tatiani.

Commentarium istud nostri Zachariae jam in antiquitate celebre fuit. P. SPICQ, O. P., in suo libro *Esquisse d'une Histoire de l'Exégèse latine au Moyen Age* (Bibl. Thomiste, XXVI), Parisiis, 1944, pag. 124 scribit : Ce commentaire « est le seul ouvrage de ce genre, avec celui de Pierre le Chantre, qu'ait produit le Moyen Age, où il jouit d'un succès considérable ». Quod autem modum interpretationis Zachariae attinet, idem auctor P. Spicq notat : « Son commentaire s'inspire de Jérôme, Augustin, Ambroise, Hilaire, Bède, Raban Maur, Alcuin, puis à un degré moindre : Origène, Jean Chrysostome et Grégoire; c'est dire que l'exégèse est plus allégo-

rique et morale que littéraire, mais elle a un net caractère théologique » (l. c., p. 125).

Commentarium Zachariae « Unum ex quattuor » accurately examini subjectum fuit a R. P. DAMIANO VAN DEN EYNDE, O. F. M., S. Th. Dr. et Mag., Prof. S. Theol. in Pontificio Athenaeo Antoniano Romano. Fructus inquisitionum suarum publicavit in articulo *Antonianum*, XXIII, 1948, pagg. 3-32; 181-220, cui titulus : *Les « Magistri » du Commentaire « Unum ex quattuor » de Zacharias Chrysopolitanus*.

Cum inquisitio ista prima sit quae opus eximii Praemonstratensis saeculi duodecimi scientifice sub respectu suo theologico exponat, utile duximus praecipuas conclusiones Patris Van den Eynde in nostris Analectis indicare.

Et, primo quidem, nominantur manuscripta quae opus Zachariae continent. Quatuor talia Romae nota sunt : Vat. Urbin. lat. 473; Vat. lat. 4868; Vat. Reg. lat. 28; Archiv. Bas. S. Petri F 34; praeterea Parisiis in Bibl. Nation. : lat. 646 et lat. 646 A. Notari potest deinde textum Vat. Urbin. lat. 473 aliam recensionem continere quam alia manuscripta et textum editum in Migne.

Porro Zacharias in explicando textu scripturistico non ad strictam exegesis sese coarctavit. Potius occasione expositionis « sacrae paginae » expositiones theologicas proposuit. Ita ut liber haberi posset uti Summa quaedam theologica. Praecipuae quaestiones theologicae, interdum fuse, tractatae sunt istae : De Trinitate; De Fide; De Baptismo; De Eucharistia; De Paenitentia; De Matrimonio; De Praescientia divina; De Potestate daemonis; De Redemptione; De Circumcisione; De Necessitate Baptismi; De Reviviscentia peccatorum; De Divortio.

Plurima autem in hoc Commentario — uti generatim fiebat illis temporibus, summis Magistris solummodo exceptis — meram compilationem constituunt textuum, qui ex aliis auctoribus depromuntur. Aperte fatetur Zacharias se plurimam expositionis lucem sumpsisse a magnis Patribus, uti Hieronimo, Beda, Augustino, et aliis. Addit insuper se insuper scribere juxta dicta « Magistrorum ». Quinam autem hi Magistri in specie fuerint, non dicit. Et in dijudicandis opinionibus a Zacharia propositis, Magistros illos nominatim novisse, sicut et gradum dependentiae Zachariae in relatione ad illos, non parum utilitatis esset ut positive labor theologicus Zachariae nostri statui melius posset. Examen istud magna cum sagacitate a P. Van den Eynde fuit peractum. Conclusionis generalis praecipua dicta ita sese habent : « La liste des écrits des « Magistri » que

Zacharie a mis en contribution pour rédiger, ou plutôt compiler, ses questions doctrinales, n'est pas bien longue. Elle se compose des « *Sententiae Hermanni* », de la « *Summa Sententiarum* », des « *Sententiae Anselmi* » et de l'un ou l'autre ouvrage non encore retrouvé. Zacharie n'a pas employé ses sources simultanément dans chacune de ses questions. Souvent il ne recourt qu'à une seule d'entre elles : c'est presque la règle pour les exposés de moindre importance... Les « *Sententiae Hermanni* » fournissent la contribution de loin la plus importante. La *Summa Sententiarum* occupe le second rang. L'emprise des *Sententiae Anselmi* est peu profonde.

Zacharie a un faible pour les ouvrages qui traitent l'ensemble de la théologie d'une manière à la fois brève et systématique et qui de ce chef méritent le titre de petits manuels théologiques du XII^{ème} siècle » (pag. 214-216).

Sub respectu doctrinali operis Zachariae addere possumus ipsum adamare expositiones doctrinae christianae potius breves, captui omnium accommodatas. Ideo potius libros illos pro compositione operis sui prae manibus habuisse videtur qui sub hoc respectu excellebant.

Supra jam dictum est Zachariam praeprimis adhibuisse in conficiendo opere suo librum dictum « *Sententiae Hermanni* ». *Sententiae* istae autem opiniones Abaelardi aperte spargebant. Abaelardus, uti ferme notum est, theoriis suis theologicis non parum saeculum duodecimum turbavit. Plures errores e libris ejus haustis, damnati fuerunt in Concilio Senonensi. Inquisitiones factae in personam et theorias Abaelardi ultimis annis ad conclusiones duxerunt quae compendiose ita bene indicantur a P. de GHELLINCK, S. J., *L'Essor de la Littérature latine au XII^{ème} siècle*, vol. I, 1946, pag. 49 s. : « Actuellement, on est presque unanime à dire que les convictions personnelles d'Abélard sont inattaquables, mais que l'application de ses théories aux dogmes n'est pas toujours en harmonie avec ses déclarations de foi chrétienne ». Constat vero Abaelardum a plurimis studiosis summo cum plausu exceptum fuisse, quamvis aliunde strenuos adversarios coram se habuerit, inter quos eminuit S. Bernardus, qui Abaelardi methodum ac theorias, eorum judicio nimis personales, in materiis theologicis, nimis periculosas judicabant.

Zacharias autem noster Chrysopolitanus maximopere ab opere theologico Abaelarde dependere videtur. Notat P. Van den Eynde, l. c., pag. 217 : « On se tromperait si on voulait ramener l'abélar-

dianisme de notre auteur à son engouement pour ce livre d'école (Sententiae Hermanni). Zacharie est réellement attaché aux doctrines d'Abélard qu'il y trouvait exposées. Il ne craint pas de maintenir parfois des théories, des pensées et des expressions spécifiquement abélardiennes, même au cas où il les sait en butte aux attaques d'un Guillaume de Saint-Thierry et d'un Saint Bernard ». *Influxus ille Abaelardi clare apparet in expositionibus Zachariae de Trinitate. Expositio ista Zachariae, materialiter maxima ex parte simpliciter deprompta e Sententiis Hermanni, personale quid prae se fert; si vero, in talibus expositionibus, theoriis Abaelardianis potissimum adhaeret Zacharias, merito exinde infertur se theoriis illis favorem suum nequaquam denegare. Relate vero ad expositiones istas in iis quae habet de Trinitate, addi potest sub hoc respectu duplicem recensionem textus supra jam memoratam non in omnibus concordare cum textu recepto, qui habetur v. gr. in editione Migne. Textus Vat. Urbin. lat. 473 brevior est; theoriis abaelardianis manifesto favet, quamvis in modo quo sese exprimit prudentiorem sese prodit quam in textu recepto, cujus adhaesio theoriis Abaelardi minus stricta videtur quam in textu Vat. Urbin. lat. 473.*

Anno 1949 prodiit Lovanii dissertatio P. ANCIAUX conscripta ad obtinendum gradum Magistri in Facultate Theologica Universitatis Lovaniensis. Dissertatio illa, plus quam 600 paginas continens, pro titulo et objecto habet : *La Théologie du Sacrement de Pénitence aux XII^{ème} siècle*. Expositio systematica instituti Sacramentorum maxime crevit saeculo duodecimi. Varia elementa quae in Sacramentis habentur tunc systematice ad invicem comparari coeperunt. Quod signanter evenit pro expositione theologica systematica Paenitentiae. Apparet autem e dissertatione Prof. Anciaux sub hoc respectu non pauca elementa theologica inveniri in libro Zachariae nostri Chrysopolitani, supra jam memorati.

Quaestio quae tunc, mediante saeculo duodecimo, a theologis inquirebatur, erat ista : Quomodo ad invicem sese habent paenitentia interna et remissio peccati obtenta in Sacramento Paenitentiae ? Haec questio illo tempore nondum ita clare solvebatur quam nostris diebus. Et variae theoriae, per magnam partem oppositae, proponebantur. Concordes quidem erant theologi in asserenda necessitate sacramenti Paenitentiae; sed de habitudine contritionis ad sacramentum illud non ita clare sentiebant. Zacharias noster quaestionem hanc non sine speciali cura consideravit.

Paenitentia, pro Zacharia, potissimum consistit in cordis contritione; haec contritio elementum potissimum dici debet, ex parte hominis, in reconciliatione peccatoris cum Deo. Notum est Abaelardum ejusque sequaces elementum contritionis in complexu integro variorum elementorum quae Sacramentum Paenitentiae constituunt magna cum emphasi exaltasse; contritio, juxta illos, peccatum vere remittit. Veritas ista ita exponitur ut merito quis rogare posset quid, in illa sententia, adhuc vere praestare possit susceptio Sacramenti Paenitentiae. Zacharias Chrysopolitanus quoad lineas generales in hac materia fidelis remanet tendentiae Abaelardianae. Nullo modo tamen modo coeco Abaelardi theoriam transcribit simpliciter. Varia, quae nimis stricte ab Abaelardo affirmata fuerunt omittit; alia vero elementa addit quae pro vera solutione quaestionis non parum luminis afferre nata erant. Elementa illa ita apud Anciaux, l. c., pag. 318 s. indicantur : « Zacharie de Besançon présente la doctrine abélardienne au sujet du pouvoir des prêtres... Dans le traité de la rémission des péchés il nuance cette solution en distinguant différents cas. Quand le pécheur est animé d'une vraie contrition, Dieu remet immédiatement le péché. Le prêtre lui remet les peines temporelles. Parfois cependant le pécheur se présente au prêtre sans la contrition. Dans ce cas, Dieu accorde à certains pécheurs la contrition et la charité par l'intermédiaire du prêtre. D'autres pécheurs enfin n'obtiennent la charité et la rémission que par la grâce de Dieu, le péché et la peine. Tout en maintenant la solution abélardienne, Zacharie la corrige en y introduisant des éléments empruntés à la « Summa Sententiarum ».

Ubi autem in specie agit de remissione peccatorum, Zacharias quoad lineas generales fidelis remanet Abaelardo, simul vero etiam textus « Summae Sententiarum » in sua expositione habet.

Tandem notari dignum est Zachariam primum theologum esse Medii Aevi qui explicite loquitur de habitudine potestatis clavium ad curam paraeciae confessario concredita.

Tandem de influxu Zachariae in alios auctores Medii Aevi quaedam elementa invenimus in libro Exc. Dom. LANDGRAF, qui postquam per plures annos docuerat in Universitate, nominatus fuit episcopus auxiliaris in archid. Bambergensi (Bavaria). In suo libro *Einführung in die Geschichte der theologischen Literatur der Frühscholastik*. Regensburg, 1948, quaedam habet de Zacharia nostro quae alia ex parte, quam in inquisitionibus Van den Eynde et Anciaux, Praemonstratensem illum in lumine ponunt. En, quae

habet Exc. Landgraf : « Der Einfluss Abaelards macht sich auch bei Gilbert de la Porrée..., in den *Sententiae Divinitatis*, in der *Summa Sententiarum*, in den Sentenzen des Petrus Lombardus, bei *Zacharias Chrysopolitanus* (man vgl. Ostlender, *Die Sentenzenbücher*, 251), und nicht zuletzt auch in den Sentenzen des Robertus Pullus und bei *Anselm von Havelberg* über den Ausgang des Heiligen Geistes in seinen Unionsgesprächen mit den Griechen... Wir haben es hier mit Werken zu tun, die zum grössten Teil auch wieder von groszem Einfluss auf andere wurden. Hier sei lediglich von Zacharias Chrosopolitanus bemerkt, dass seine Erklärung *Super unum ex quatuor* von Wilhelm von Melitona und vor allem früher schon von den *Deflorationes Sanctorum Patrum* des Werner von St. Blasien stark benützt worden ist und das dieselbe wohl auch darauf starken Einfluss gehabt haben dürfte, dass Petrus Cantor, der bekanntlich *Super unum ex quatuor* ebenfalls einen Kommentar schrieb, die Heilige Schrift nach Kapitelzahlen zu zitieren begann, allerdings, indem er dabei eine ältere Kapiteleinteilung benützte. Man vgl. LANDGRAF, *Neue Gesichtspunkte für die Einschätzung des Zacharias Chrysopolitanus* : Bohoslavica, XVI, 1938, 193-207 (l. c., p. 68 s.).

Quae omnia sufficienter, nostro iudicio, manifestant Zachariam nostrum Chrysopolitanum majorem mereri attentionem quam hucusque generatim moris erat.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

* * *

REVERENDISSIMUS
DOM. PROF. SCHREIBER.

Die 5 Januarii 1952, Reverendissimus Dr. G. SCHREIBER, Prof. Ordinarius Historiae ecclesiasticae in Universitate Monasteriensi (Westphalia in Germania), annum suum septuagesimum feliciter explevit. Hac occasione perplurimi viri eximii, qui apprime novērunt sese permulta debere Jubilario, absque dubio manifestabunt qualis fuerit Prof. Schreiber pro ipsis, qua Professor, Studiorum Moderator, et Consiliarius.

Commissio Historica Ordinis Praemonstratensis ex sua parte occasione faustissimae expletionis anni septuagesimi sensus sinceræ